

26, 10.

Ritter-Akademie zu Brandenburg.

Zu der

am 15. October 1860 Vormittags 11 $\frac{1}{2}$ Uhr im Festsale
der Ritter-Akademie stattfindenden Feier

des

Allerhöchsten Geburtstages Seiner Majestät des Königs

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

der Director

Dr. Ernst Köpke,

Professor.

IV.

Inhalt des Programms:

1. De dialogi Platonici, qui inscribitur Lysis, argumento et consilio.
Vom Oberlehrer Dr. Rudolf Schultze.
2. Bericht über das Schuljahr von Michaelis 1859 bis eben dahin 1860.
Vom Director.



Brandenburg a. N., 1860.

Gedruckt bei Adolph Müller.

96r
2 (1860)

Ritter-Abend für die Geburtstagsfeier

Nr. 12

am 15. October 1860 Vormittags 11 Uhr im Festsaal
der Ritter-Akademie stattfindenden Feier

des

Allerhöchsten Geburtstages

seiner Majestät des Königs

in der Akademie und im Festsaal

der Direction

der Ritter-Akademie

Professoren



IV.

Inhalt des Programms:

1. Die deutsche Nation, ein Lesebuch (Lesung) von Herrn
Prof. Dr. J. J. Schölerer.
2. Bericht über die Schifffahrt von Jülich 1859 bis zum Jahre 1860.
Von Herrn
Prof. Dr. J. J. Schölerer.



Verlag von J. J. Schölerer, Jülich, 1860.

Verlag von J. J. Schölerer, Jülich, 1860.

De dialogi Platonici, qui inscribitur Lysis, argumento et consilio.

Quam nuper,¹⁾ quum de Susemihlii libro²⁾ mihi iudicandum esset, de Lysidis dialogi consilio indicavi sententiam, eam, hac occasione oblata, plenius accuratiusque exponendam eo libentius suscepi, quod in tanta virorum doctorum discrepantia haud inutile fore arbitrabar, si totam hanc quaestionem denuo instituerem. Quamquam enim Astii³⁾ Socherique⁴⁾ sententiam, qui Lysidem inter dialogos spurios retulerunt, jamdudum spretam esse video, tamen ne recentiores quidem interpretes de consilio Lysidis consentiunt, neque quid hic dialogus ad explicandam Platonis doctrinam valeat, satis mihi videntur perspexisse. Ac profecto non ea sunt veterum testimonia, quorum de fide dubitare omnino non liceat. An Diogenis Laërtii⁵⁾ auctoritate nos tueamur, etiamsi recte iudicaverit Astius, multa in Lyside prorsus absurde et contra Platonis rationem disputari, plurima inveniri pravae imitationis exempla, totum denique libelli argumentum ita esse comparatum, ut eum a Platone scriptum esse vix credibile sit? Thrasyllum⁶⁾ vero, qui in tetralogia quinta Lysidem post Theagem, Charmidem, Lachetem quartum enumeravit, satis constat dialogos Platonicos disposuisse potius quam examinasse.⁷⁾ Qui autem optimus in hac re iudex habendus est, Aristoteles neque usquam diserte Lysidis mentionem fecit, neque, si quid video, ubi suam de amicitia sententiam exponere conatus est⁸⁾, Lysidis argumentum ita retractavit, ut, quod Steinhartio⁹⁾ placet, hunc dialogum ei ante oculos versatum esse appareat. Quum enim in exordio illius disputationis varias hominum de amicitia sententias respiciat et quasi animo perlustret, tamen cum iis, quae Lysidem nobis in mentem revocare videantur, alia sunt mista,

1) Muetzell, Zeitschr. f. Gymn. X. p. 850. 2) Die genetische Entwicklung d. Platonischen Philosophie, einleitend dargestellt von Dr. Franz Susemihl. Lpzg. 1855. 3) Platons Leben und Schriften. Lpzg. 1816. p. 431. 4) Ueber Platons Schriften. München 1820. p. 140 sqq. 5) III, 35; cf. Vitam anon. p. 13. 6) Diog. Laërt. III, 59. 7) C. F. Hermann, Gesch. u. System der Plat. Philos. I p. 421 Anm. 195. 8) Aristot. Eth. Nic. VIII, 1. 2. 10. Eudem. VII 2. 5. Magn. Mor. II, 11. 9) Platons Werke übers. von H. Müller, mit Einleitungen von Steinhart p. 230.

quorum ne vetigia quidem apud Platonem inveneris. Neque id mirum: quoniam Aristotelis consilium a Platonis proposito prorsus diversum est. Ex iis igitur, quae commemoravimus, veterum testimoniis hoc unum apparet, Lysidem inde a primo p. Chr. n. saeculo inter Platonis scripta numeratum esse neque cuiquam ante Astium suspectum fuisse. Quid vero, si exstant manifesta fraudis indicia? Quorum partem Astius¹⁾ in ipsis rebus, partem in ratione disputandi, partem in ipsa doctrina latere existimat; accedere denique imitationis exempla locutionesque aut apud Platonem rariores aut cum ipsa orationis gravitate parum convenientes. De quibus singulis conabor ordine exponere.

Injuria Lysidem Astio suspectum fuisse.

Ac primum quidem accurata viae locorumque descriptione Astius offenditur, quasi non similia praeter Charmidem etiam in Phaedro et in Republica inveniantur; quae si tollas, vereor, ne omnis fere venustas e Platone tollatur. Ceterum recte Hermannus²⁾ hoc genus abundantiae atque ubertatis iis dialogis, quos adolescens Plato scripserit, proprium esse intellexit.

Deinde miratur Astius, quod Socrates Micci amici atque laudatoris sui palaestram non noverit. Quid multa? Recens enim est aedificata nec diu Socrati ignota fuit.

Denique festo Mercurii die Socrati non licuisse palaestram intrare. At etiamsi res ita se habeat, — quamquam hoc minime certum est, quoniam neque de lege illa³⁾ satis constat, neque ad quos aut ad quod tempus pertineat, perspicuum est, — tamen quis est quin videat, hanc Solonis legem non majore quam ceteras ejusdem generis religione a posteris observatam esse. Praeterea ut alia omittam, quae Beckerus⁴⁾ et H. Mullerus⁵⁾ de hac re exposuerunt, non negligendum esse existimo, quod Socrates palaestram ingressus pueros sacrificio et re divina fere peractis talis ludentes invenit⁶⁾, ipse vero in atrio quodam videtur versari, si quidem Menexenus⁷⁾ ad sacrificium perficiendum intus abire cogitur⁸⁾.

Quae autem in hoc dialogo Astio absurda videntur, ea non video cur a Platonis ratione putemus aliena esse. Equidem enim loco illo⁹⁾, in quo magnum Persarum regem filio maximo natu, si quid velit in jus injicere, negat permissurum esse, non magis offendor, quam in aliis exemplis, quae quum apud Platonem¹⁰⁾ tum apud Socratem¹¹⁾ haud raro occurrunt. Praeterea haud scio an recte judicaverit Steinhartius, coquorum medicorumque graecorum, qui apud Persas in summo honore erant, vanitatem lepide castigari.

1) l. l. p. 432 sqq. 2) l. l. p. 387. 3) Aeschines contra Timarchum §. 12 ed. Bekker. 4) Charicles ed. II t. II p. 21 et p. 189 sqq. 5) Platons Werke übersetzt v. H. Müller I, Lysis Anm. 3. 6) p. 206 E. 7) p. 207 D. 8) Platons Werke v. Schleiermacher I, 1 p. 387 sqq. 9) p. 209 E. 10) Euthyd. p. 298 D. 11) Xenophon Mem. Socr. III, 8, 6.

In falsa autem versicolorum illorum¹⁾ interpretatione eo minus haerebimus, quod non solum similia multa comparari possunt, sed etiam subinde Socrates de solis infantibus loquitur, qui aut propter naturae imbecillitatem amare parentes nondum possint aut propter plagas acceptas interdum eos etiam odisse videantur.

De iis, quae Astius doctrinae Platonicae contraria esse affirmat, postea videbimus, quum ad ipsum Lysidis argumentum accesserimus.

Quae vero imitationis exempla Astius ex Phaedro et Convivio attulit, ea, ut Stallbaumi²⁾ verbis utar, posuisse est explosisse. O pravam sane atque perversam rationem eorum, qui injustae suspicioni nimis creduli, si inter duos locos similitudo quaedam intercedere videatur, alterum ex altero haustum esse putant, sin paullo diversae sint sententiae, alteram cum altera pugnare asseverant. Denique quod Astius locutiones quasdam vel audaciores vel minus usitatas reprehendit, non est cur in hac re diutius commoremur. Neque enim, quum de fide atque auctoritate alicujus scripti quaeritur, e singulis vocibus licet conjecturam facere, nisi vim vocabulorum ac totum dicendi genus a constanti scriptoris usu abhorreere demonstraveris.

Falsae de Lysidis consilio opiniones refutantur.

Remotis igitur vanis suspicionibus quaeramus oportet, quo consilio Plato Lysidem scripserit. Qua in re, ne dicam de iis, qui nullum fructum ex hoc dialogo percipi posse censent³⁾, tres video virorum doctorum sententias distinguendas esse, unam eorum, qui artificiosam modo sophistarum rationem castigari putant⁴⁾, alteram eorum, qui nihil amicitiae cum amore commune esse contendunt⁵⁾, tertiam eorum, qui inter amicitiam et amorem philosophicum aut nihil aut prope nihil interesse existimant⁶⁾.

Itaque primum quidem Stallbaumius⁷⁾ arbitratur, „disputationem de amicitia ideo „in hoc libro agitari, ut illustri aliquo exemplo demonstretur, dialecticam istam, quam „adolescentes magno quodam studio sectabantur, nihil esse aliud, nisi inanem quandam „argutiarum captatricem, quae non modo veritatis investigationem nihil adjuvet, sed „etiam eos, qui verum aliquo modo attigerint, mirifice perturbet et in consilii inopiam „conjiciat. Quod quo clarius appareat, locum de amicitia tractari, hoc est id argumen- „tum, quod, utpote ex hominum vita communi desumptum, facilem explicationem habere „videri potuerit.“ Simul vero Platonem „insigni usum artificio suam ipsius sententiam, „si non dilucide exposuerit, at certe non ita obscure prodidisse et significavisse.“ Quid vero, si ipse Socrates in hoc dialogo illis, quae contemnenda esse censet, artificiosis utitur atque ita utitur, ut suam videatur sententiam exponere? Quis igitur haec irrisio-

1) p. 212 C. 2) Platonis opp. ed. Stallbaum vol. IV sect. II p. 91. 3) Ast, Socher. 4) Stallbaum, (C. F. Hermann). 5) C. F. Hermann, (Stallbaum), Steinhart, Susemihl. 6) Schleiermacher, Zeller. 7) Vol. IV sect. II p. 87.

caussa dicta esse sibi persuadebit? Longe alio modo sane Ctesippus in Euthydemo¹⁾ sophistarum argutias imitando exposuit. Denique, quod in hac re gravissimum est, e Lyside nemo cognosceret, quid intersit inter artem sophisticam et Socraticam vel Platoniam. Egregie enim Susemihlius²⁾ hoc discrimen non in ratione disputandi demonstravit positum esse, sed in ipso disputantium ingenio atque consilio, si quidem sophistas plausum potius quam veritatem consecutos esse verisimile est. Itaque mea quidem sententia ne hoc quidem concedendum erit, Platonem ostendere voluisse, quantum periculi habeat in veritate indaganda sermonis vulgaris temeritas placitorumque quorundam philosophorum ambiguitas.³⁾ Idem enim apparet in Charmide, Lachete, Euthyphrone, Menone fieri, ut, quod Hermannus de uno Lyside dixit, ad omnes fere ejus aetatis dialogos pertinere videatur. Deinde hac quoque in re Hermannus⁴⁾ ad Stallbaumii sententiam proxime accedit, quod praeter omnium expectationem amicitiae naturam indagari negat. Hoc enim esse Platonis consilium, ut unum demonstraret atque communem esse studiorum humanorum finem, quem in omnibus rebus spectemus, sive summum esse aliquod bonum, propter quod amemus quae nobis amanda esse videantur. Quodsi Hermannus⁵⁾ hanc doctrinam ab amore prorsus diversam esse judicat, quippe qui necessario pulchritudinem spectet velut veritatis divinae imaginem, confitemur, neque pulchri desiderium neque partum, quae amori propria sunt, in amicitiam quadrare; imo hoc est, quod Zellerus⁶⁾ ait, minus fecundum esse amicitiae nomen quam amoris. Quis vero est quin videat, non hoc solum investigari, quid debeat amari, sed etiam, qui sint ii qui ament. Hermanni igitur sententia efficitur, ut vinculum illud, quo singulae dialogi partes inter se conjunctae sunt, solvatur.

Quanta autem sit inter amicitiam et amorem similitudo, facile cognoscas e Convivio⁷⁾, ubi amorem Plato declarat bonarum rerum esse cupidinem, neque aliud quidquam homines cupere nisi bonum. Postremo, ut verum sit, amorem, etiamsi forte in universum pro cupiditate usurpetur, vi tamen atque impetu ab amicitia differre⁸⁾, hoc discrimen profecto non tantum est, ut aliam amoris, aliam amicitiae naturam esse censeamus; quoniam sublato possidendi desiderio nomen cupiditatis tollitur⁹⁾.

Redimus ad Stallbaumium. Ipsius enim disputationis, qua Plato suam de amicitia sententiam si non illustraverit, at certe adumbraverit atque delineaverit, quatuor partes esse existimat. Itaque in exordio doceri eum, qui alterius fieri amicus cupiat, mature id agere oportere, ut prudens atque sapiens evadat; deinde, ad amicitiam requiri mutuum

1) p. 300. 2) l. l. p. 134. 3) Hermann l. l. p. 449. 4) l. l. p. 448. cf. Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag. 1833 p. 404. 5) l. l. p. 612 Anm. 301. 6) Die Philosophie der Griechen. Tübingen 1846 II p. 170 Anm. 7) p. 205 D sqq. 8) Id enim Hermannus l. l. apparere dicit e Platonis libro de legibus VIII p. 837. A: *Φίλον μὲν πον καλοῦμεν ὅμοιον ὁμοίῳ κατ'ἀρετὴν, καὶ ἴσον ἴσῳ, φίλον δ' αὖ καὶ τὸ θεόμενον πεπλουτηκότος ἐναντίον ὃν τῷ γένει. ὅταν δὲ ἐκάτερον γίγνηται σφοδρῶν, ἔρωτα ἐπονομάζομεν.* 9) Plat. Symp. p. 206 A sqq.

benevolentiam et caritatem; tum, morum quendam debere similitudinem inter amicos esse neque veram amicitiam nisi inter bonos posse consistere; denique, amicitiam non tam ab hominum imbecillitate atque indigentia proficisci, quam e naturali quodam desiderio et appetitu.

At tantum abest, ut Platonem ita de amicitia statuisse verisimile sit, ut haec omnia fere ab ejus ingenio prorsus aliena esse facile appareat. Prima enim illa sententia pugnat cum iis quae de summo bono, quod *πρώτον φίλον* appellatur, in ipso Lyside exponuntur. Neque enim secundum Platonem eo consilio homines sapientiae student, ut amicitias sibi parent, sed amicitias sibi comparare student, ut sapientiores fiant. Quod autem mutuum requiri putat caritatem, ne hoc quidem omni ex parte verum esse, postea demonstrabimus. Deinde ejus amicitiae, quae inter homines natura dissimiles consistere possit, egregium nobis exemplum in Lyside et Menexeno¹⁾ proponitur. Neque magis illud concedendum est, veram amicitiam nisi in bonis esse non posse. Nam contrarium fere Platoni placuisse nemini obscurum fore arbitror, qui bene intellexerit, cur Plato bonos philosophari neget; nisi forte quis credat Astio, hanc sententiam ineptam esse.

Quod denique Stallbaumius verae amicitiae originem non ab hominum indigentia sed a naturali quadam atque insita omnibus cupiditate repetendam esse statuit, quid aliud est nisi Ciceronianum²⁾ illud, nihil dulcius esse, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? In quo dicto communis vita potest conquiescere, Plato non potest.

Steinhartius³⁾ autem verum amicitiae fontem et quodammodo fundamentum censet amorem esse, ipsam vero amicitiam cerni in studiorum communitate, qua homines natura inter se et similes et dissimiles summum bonum assequi conentur. Quam sententiam si probemus, recte monuit Susemihlius, verendum esse, ne Plato non eo consilio de amicitia quaestionem instituisse videatur, ut qualem ad sapientiam adipiscendam usum praebeat cognoscamus, sed potius de fine philosophiae quaesivisse, ut quid aut quale sit amicitia intelligamus. Quo errore sublato non ita multum interest inter Steinhartium et Susemihlium⁴⁾, quippe qui hoc censeat dialogi consilium esse, ut de amore, qui nos ad sapientiae studium impellat, et de summo bono sive de fine philosophiae exponatur; deinde ut demonstretur, amicitiam iis, qui insigni veritatis amore incensi ad illum finem pervenire studeant, optimum esse subsidium; denique ut, qua ratione in hoc studio amici amicos adjuvare debeant, exemplis illustretur. Vide igitur, ne amicitiam cum amore confundas. Licet enim caussa amicitiae amor sit, hoc tamen facile apparet, ipsam amicitiam, quae amantes studiorum communitate conjungat, non esse amorem sed sequi. Qua in re hoc unum me commovet, quod vereor, ne ejusmodi sententia a Platonis ingenio aliena sit. Nam sicuti virtutem non in vita honesta positam esse existimat, sed in scientia boni, qua praediti recte honesteque vivamus necesse sit, ita eum etiam in amicitia definienda

1) Steinhart. l. l. I. p. 220. 2) Laelius c. 6. 3) l. l. p. 223. 4) l. l. p. 23.

non usum familiaritatis sed ipsam animi voluntatem spectasse credibile est. Quod si nascitur amicitia ex amore, nihil interest inter amicitiam et amorem; sin ardore¹⁾ atque impetu ab amore differt, amicitia unum genus est amoris. At, dixerit aliquis, nonne vides, totam hanc disputandi rationem proxime accedere ad Socratis consuetudinem, qui saepe ita de amicitia locutus est, ut eam ad vitae familiaritatem referat? Cui equidem: Noli Platonis adolescentiam excusare; quoniam enim, quod de virtute dixi, non solum in posteriores dialogos, verum etiam in Charmidem quadrat, ne in hac quidem re adoleo- scenti aliud atque seni placuisse arbitror. Ex quo efficitur, ut, licet Platonem neque amicitiae neque virtutis naturam satis perspexisse fateamur, nemo tamen dubitare possit, quin hoc vitium Platonis proprium sit.

Haec fere sunt, opinor, quae Schleiermacherum permoverunt, ut totam hanc de amicitia quaestionem ad amorem pertinere existimaret; quam ob causam injuria eum ab Hermanno vituperari, Steinhartius²⁾ bene videtur demonstrasse. Quod vero Lysidem censuit post Phaedrum scriptum esse, ut ea, quae in Phaedro *μυθικῶς* essent exposita, in Lyside *διαλεκτικῶς* illustrarentur, sine dubio erravit Schleiermacherus³⁾, quia tantum abest, ut Phaedrus nostro dialogo illustrari videatur, ut contrarium accidere appareat⁴⁾. Quod quum inter omnes viros doctos constare videam, non est, cur in hac re diutius morer. — Reliquum est, ut quaeramus, num forte inverso dialogorum ordine Schleiermachi de Lysidis argumento sententia defendi possit. Quam viam ingressus Zellerus⁵⁾ quum magnam partem dialogi tum hoc ipsum amicitiae nomen ex sermonibus Socraticis contendit defluxisse. Eum enim amorem, qui libidine careat, appellari amicitiam. Atqui ne amor quidem philosophicus, quem vocant, cum libidine debet conjunctus esse⁶⁾, nisi forte libido est impetus ille divinus, quo paene inviti ad verum et pulchrum et honestum deferimur.

Nova proponitur de Lysidis consilio sententia.

Haec igitur omnia mihi ex nostris potius opinionibus quam e Platone videntur hausta esse. Quamquam non dubium est, quin et Socrates et Aristoteles atque omnes fere veteres similem in modum de amicitia judicaverint. Quare quum amor philosophicus longe alienus sit a libidine illa turpissima, quae tum maxime valebat, vel etiam a stupro flagitiosissimo, quo puerorum mores haud raro corruptos esse constat, verendum erat, ne homines amorem honestum atque castum amicitiam potius quam amorem putarent appellandum esse: nimirum, quum, quid amoris proprium esset, non satis intelligerent.

Jam vero exstat, ni fallor, manifestum hujus erroris indicium. Legimus enim in Phaedro,⁷⁾ puerum illum formosum, ubi primum amantem redamare coeperit, suam animi

1) cf. p. 4 adn. 8 et Xenoph. Symp. VIII, 13 sqq. 2) l. l. p. 232. 3) l. l. p. 176. 4) Socher l. l. p. 142 sqq. 5) Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1851. Heft III p. 254. 6) Plat. Phaedr. p. 256. 7) p. 255 E: *καὶ δὲ αὐτὸν καὶ οἶσται οὐκ ἐρωτᾶ ἀλλὰ φιλοῦν ἴδεναι.*

benevolentiam non amorem sed amicitiam vocare. Qua in re si errat, nonne Lysis et Menexenus forte simili in errore versantur? Confirmatur haec suspicio priore Socratis cum Lyside solo colloquio. Quod quum exemplum sit sermonum eorum, quibus amator uti debeat, si ab amato redamari cupiat,¹⁾ Socrates Lysidem hortatur, ut ipse quod audierit cum amico communicet. Itaque haud scio an Lysis hac ratione amatoris partes suscipiat. Quo consilio? Ut prosit amico. Nonne vero amicitia nullam videtur utilitatem praebere? Nullam sane secundum Platonem. Jam quid inde sequitur? Ut amicitiam utilitatem ne spectare quidem judicandum sit? Imo, ut parum considerate amicitiae nomen amoris loco usurpari soleat. Amicitia enim, si cum partu conjuncta non est, videtur inutilis esse; sin est utilis, partu carere non potest. Quam ob rem idem fere mihi videtur in Lyside accidisse atque in Euthyphrone. Sic enim existimo, Platonem neque pietati unquam proprium quendam in virtutibus locum tribuisse neque amicitiae in studiis philosophicis. Quodsi de natura quaeris amicitiae et pietatis, utrumque nomen ad amorem et justitiam referendum; sin genera²⁾ spectes amoris et justitiae, poterat Plato justitiam adversus Deos pietatem vocare, amicitiam amorem inter aequales,³⁾ hanc vero quaestionis partem posteris explicandam reliquit.

Quo autem melius cognoscamus, utrum Platonis sententiam recte perspexerimus necne, singula nobiscum reputemus necesse est. Atque quum tota dialogi nostri ratio ita comparata sit, ut quaecunque proponuntur paullo post rejiciantur, — id quod Astium permovit, ut nullum e Lyside fructum percipi posse existimaret — hoc praecipue investigandum est, utrum probabilis sit argumentatio an vitiosa. Deinde ubi error adeo manifestus erit, ut Plato suam sententiam prodidisse potius quam celasse videatur, quaeramus oportet, num ea, quae de amicitia judicaverit, convenient cum ipsa de amore doctrina, quia, si non conveniunt, nostrum refellitur judicium. Ubi autem dubitare non poterimus, quin Plato suam sententiam diserte expresserit, eae suspensiones, quae in amicitiam cadunt, amoris notione bene perpensa debent posse removeri.

Exordium.⁴⁾

Socrati forte ex Academia in Lyceum contendenti obviam fiunt Hippothales et Ctesippus et alii quidam adolescentes, qui eum hortantur, ut cum ipsis intret in vicinam Micci palaestram nuper exstructam. Roganti, quis sit ὁ καλός, erubescens Hippothales alios respondet aliis pulchros videri. Ipsum autem Hippothalem Ctesippus docet tanto Lysidis cujusdam adolescentis nobilissimi amore captum esse, ut omnium aures laudibus ejus impleat ac ne a versibus quidem se absteineat. Quibus cognitis Socrates Hippothalem vituperat, quod ante victoriam reportatam quodammodo se ipsum cantet; quo

1) Lys. p. 206 C. 210 E. sqq. 2) Zeller Philos. d. Griech. II p. 172 sqq. 3) cf. Phaedr. p. 240 C.

4) Lys. p. 203 A — 207 C.

enim generosior atque illustrior sit ille adolescentulus, eo majorem et victori fore victoriae laudem et victo cladis ignominiam. Itaque singularem esse amentiam, si quis cum, quem sibi conciliaturus sit, superbum atque fastidiosum reddat. Quae vera esse confessus Hippothales petita Socrate, ut quibus sermonibus amatorem uti deceat demonstret. Pollicetur Socrates libenter sese ei morem gesturum esse, dummodo sibi cum Lyside colloquendi facultas detur. Intrat igitur Socrates cum Ctesippo, ipse autem Hippothales, veritus, ne forte a Lyside conspiceretur, paulo post cum reliquis sequitur. Celebrantur, ut supra commemoratum est, Hermaea, sed sacrificiis fere peractis pueri alii in vestibulo alii in apodyterio dispersi ludis se oblectant. Postquam in angulo quodam remoto consedit Socrates, accedit Menexenus Ctesippum patrum suum salutaturus. Quod quum animadvertisset, Lysis quoque, ut erat Menexeno familiarissimus audiendique cupidissimus, juxta illum assidit; circumsistunt reliqui, in quorum numero etiam Hippothales est. Vix autem Socrates ad Menexenum conversus pauca coepit de aetate, de genere, de pulchritudine quaerere, quum Menexenus a magistro palaestrae vocatus abire cogitur. Quo facto Socrates ceteris auscultantibus cum Lyside solo hunc fere in modum colloquitur.

Socratis cum Lyside colloquium prius.¹⁾

„Nonne te amant, Lysi, parentes tui cupiuntque, ut quam beatissimus sis? Quomodo autem is potest beatus esse, cui quod velit facere non liceat? Qui igitur fit, ut multa parentes te facere non sinant, imo servis plura permittant quam filio? Noli vero aetatem praetendere, quoniam, ubi alicujus rei videris peritus esse, illi ne tibi quidem obstant, quominus quodcunque velis facias. Quare nihil antiquius tibi habendum est, quam ut in rerum bonarum cognitione proficias; quo facto et summa uteris vivendi libertate et plurimos tibi comparabis amicos. Quicumque enim te ipsis intelligent peritiorum atque sapientiorum esse, omnia sua tibi committent tuamque sibi amicitiam utilissimam fore existimabunt. Adhuc vero quum parum sis eruditus, nullus est superbiae locus.“

Summa hujus disputationis haec est:

- 1) unum esse atque communem omnibus finem propositum, quem homines assequi studeant, vitam beatam,
- 2) neque tamen posse quemquam beate vivere, nisi habeat boni scientiam.

Ex quibus sententiis alteram Platoni optime convenire, satis apparet e loco quodam Convivii²⁾, quem comparasse sufficet, quia de ipsa summi boni natura non quaeritur. Quod autem boni scientiam ad beate vivendum necessariam esse diximus, haud difficile est ad intelligendum, eam solam efficere, ut ceteris rebus recte utamur³⁾. Accedit, quod

1) Lys. p. 207 D — 216 D. 2) Symp. p. 205 A. 3) Gorg. p. 468 B et p. 514 D; sqq. cf. Charm. p. 174 B sqq.

nemo nisi sapiens potest quae cupit facere.¹⁾ Neque aliud quidquam significat illud *ἐάν* et *ἐπιτρέπειν*, sed haec omnia in Lyside ita tractantur, ut etiam ab adolescentulo intelligi queant, quo factum est, ut earum quas dixi rerum principia tantum et elementa inveniamus. Quid vero, quod Astius totum hujus sermonis consilium pugnare putat cum ijs, quae in Phaedro²⁾ praecipiantur? Ingenui enim amatoris esse puerorum animos non deprimere sed exornare. At nonne manifestum est, illud *ταπεινοῦν καὶ συστέλλειν* lepide dici, quasi Socrates Lysidem voluerit ad obsequium paratiorem reddere? Talibus enim sermonibus adolescentium mores non corrumpuntur sed corriguntur. Quam ob rem Socrates in Euthydemo³⁾ non solum Cliniam sed etiam se ipsum occidi jubet, dummodo meliores atque sapientiores renascantur. Hippothalis autem ratio, qui Lysidis animum vano fastidio inflare conatur, comparari potest cum falso illo atque illiberali amore, cujus insigne nobis in Phaedro⁴⁾ exemplum proponitur. Quare quamquam Socrates Hippothalem cavere jubet, ne laudibus temerariis Lysidem etiam superbiorem difficilioremque reddat, nemini dubium esse arbitror, quin eum obsequii specie ad meliorem atque honestiorem de amore opinionem adducere studeat. Unum reliquum est, quod statim monere placet. Ex fine enim colloquii cognoscimus sapientiam et amicitiam inter se conjunctas esse, licet praeter expectationem nostram amicitia potius sapientiam, quam sapientia amicitiam sequi videatur. Sed de hac re postea videbimus. Jam igitur ad alteram dialogi partem progredimur, in qua de amicitia quaestio instituta est. — Redeunte Menexeno Lysis etiam submissa voce petit a Socrate, ut idem quod ipsi etiam Menexeno dicat. Negat ille, ipsum enim Lysidem hoc munus praestare posse; se autem de alia re cum Menexeno collocuturum esse pollicetur.

Socratis cum Menexeno colloquium prius⁵⁾.

Socrates igitur gratulatus Lysidi et Menexeno, quod admodum adolescentibus iis contigisset, ut amici fierent, quoniam se ipsum fatetur nullius rei cupidiorum esse quam boni amici, quaerit e Menexeno, uter alterius sit amicus, utrum amans amati, an amatus amantis, an hoc nil referat. Qua in re cavendum est, ne ipsi quoque vocis *φίλος* ambiguitate decipiamur. Neque vero vis activa solum a passiva distinguenda est, sed etiam genitivo aut dativo addito paullulum mutari potest sententia. Itaque Steinhartius⁶⁾ hoc vocabulum, si absolute ponatur, significare docet aut amantem aut amatum; deinde, si cum dativo jungatur, vim habere, quam vocat subjectivam, sin cum genitivo, objectivam; quarum alteram posse sine mutua be-

1) Rep. I p. 339 C. sqq. 2) Phaedr. p. 252 D: *τόν τε οὖν ἔρωτα τῶν καλῶν πρὸς τρόπον ἐκλέγεται ἕκαστος, καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκείνον ὄντα ἐναντῷ οἷον ἄγαλμα τεκταίνεταί τε καὶ κατακοσμεῖ.* 3) Euthyd. p. 285 B. 4) Phaedr. p. 237 B — 241 D. 5) Lys. p. 211 D. — 213 C. 6) l. l. p. 225.

nevolentia constare, alteram non posse. Mihi vero sufficere videtur, significationi activae et passivae tertiam addere ambiguum ubi *φίλος* solet cum genitivo conjungi, eam dico, de qua quaeritur et quae amicitiae nomen dedit, quare hanc unam solito more latine reddere, activam vero et passivam amandi verbo placet exprimere.

Jam igitur ad interrogata quatuor possunt Socrati responsa dari:

1. utrumque amicum esse vocandum,
 - a. si alteruter alterum amet,¹⁾
 - b. si uterque alterum amet;²⁾
2. alterutrum amicum esse vocandum,
 - a. aut eum qui ametur,³⁾
 - b. aut eum qui amet.⁴⁾

Ac primum quidem respondet Menexenus, utrumque alterius amicum fieri, dummodo alteruter alterum amet. Ubi vero Socrates amatum ostendit saepe non amare, imo interdum etiam odisse eum, a quo ametur, Menexenus sibi videtur intelligere, tum neutrum esse alterius amicum. Quod utrum verum sit necne, nondum libet dijudicare, quoniam Menexenus statim alterum illud respondet, mutuam ad amicitiam requiri benevolentiam. Atqui graecum vocabulum *φίλος* saepe usurpari constat, ubi mutui amor vix cogitari potest, ut si quis *φίλιππος* vel *φίλοινος* vel *φιλόσοφος* appellatur aut si infantes, equi, canes *φίλοι* dicuntur. Quae qui absurde putant disputata esse, haud scio an suum potius arbitrium sequantur quam Platonis consilium perspiciant, qui si, quod illis videtur, de amicitia, quae vulgo appellari solet, quaestionem instituit, debebat haec praetermittere⁵⁾; sin propriam ac communem hujus vocabuli vim explorare statuit, ne unum quidem exemplum debebat negligere, quod ad eam explicandam utile esse posse videbatur. Nonne igitur id ipsum ineptum est, Platonem ineptiae accusare, quia haec ad amicitiam nullo modo pertineant, quum omnibus inde cognoscere liceat, hoc Platonem voluisse investigare, quid sit τὸ φίλον? Quodsi quaeris, quorsum haec disputatio speet, vocabulum graecum ambiguum esse discimus; posse enim amicum vocari et eum qui ametur et eum qui amet, ut sunt *φίλοινοι*, qui vinum amant, *παῖδες φίλοι* liberi amati. Quare idem fere valet, quod tertio et quarto loco respondetur. Qui igitur fit, ut neutrum Socrati probari videatur? Negat scilicet,

- a. amatum amari posse ab eo quem oderit,
- b. amantem amare posse eum, qui oderit.

Atqui hoc est, quod ipse fatetur haud raro evenire; quare manifestus inest in hac

1) Lys. p. 212 B — C. 2) ibid. p. 212 D — E. 3) ibid. p. 213 A — B. 4) ibid. p. 213 B — C.
5) Arist. Eth. Nic. VIII, 2: Ἐπὶ μὲν τῇ τῶν ἀνθρώπων φιλίᾳ οὐ λέγεται φιλία ὅδ' γὰρ ἔστιν ἀντιφιλίαις οὐδὲ βούλησις ἐκείνων ἀγαθοῦ· γελοῖον γὰρ ἴσως τῷ οἴνῳ βούλεσθαι τὰ κακά. Cf. Magn. Mor. II, 11: Ὅτε τὴν πρὸς θεὸν φιλίαν ἐπιζητοῦμεν οὐτε τὴν πρὸς τὰ ἀψυγα.

argumentatione error. Nimirum enim, quum Socrates neque amatum neque amantem declarasset inimico posse amicum esse, Menexenus utriusque vocis ambiguitate deceptus negat,

a. amatum amari ab eo, qui oderit,

b. amantem amare eum, quem oderit.

Genus igitur est erroris grammaticum, quoniam in altero placito *φίλος* passive, *ἐχθρός* active, in altero *φίλος* active, *ἐχθρός* passive intelligitur, neque vero propterea totius disputationis consilium eristicum vocare aequum est, quum via ad tollendum errorem satis videatur munita esse. Accedit, quod sophistarum in arte grammatica excolenda officium non parvi aestimandum esse constat; quare Platonem in hoc genere quaestionis ratione sophistica usum esse consentaneum est.

Prioris igitur quaestionis summa haec est: ambiguum esse atque minime perspicuum vulgarem amicitiae vocabuli usum, sed distinguendum esse inter amantem et amatum. Idem autem debere in amore fieri, cognoscimus e Convivio¹⁾, etiamsi Plato, hunc fortasse locum respiciens, argumentis ibi supersedere posse sibi videatur. Quanti autem hoc discrimen faciat, — ne quis haec nimis trita aut Platone fere indigna esse putet — inde maxime licet colligere, quod ex hoc errore falsas de Amore opiniones omnes videmus ortas esse²⁾.

Iam igitur postquam exploratum est, e duobus amicis alterum amare, alterum amari, quaeritur et qualis debeat is esse qui amet, ut possit amare, et qualis is qui ametur, ut possit amari. Ac ne quis dubitet, quin nova hinc quaestio ordiatur, Menexeni loco Lysis in sermonem ingreditur.

Socratis cum Lyside colloquium alterum³⁾.

Laudat Socrates Homerum et Empedoclem⁴⁾, parem dicentes pari amicum esse⁵⁾. Assentitur Lysis. Quodsi concedimus, similitudinem causam esse amicitiae, eundem et amare et amari necesse est, quare illius, de quo supra diximus, discriminis rationem habere non cogimur. Ac primum quidem Socrates hanc sententiam non omni ex parte veram esse demonstrat, quia fieri non possit, ut aut malus malo, aut injustus injusto amicus sit. Neque vero dubium est, quin Plato ipse ita existimet. Licet enim in

1) Symp. p. 200 A: Περὶ δὲ καὶ τὸν ἔρωτα εἰπεῖν. ὁ ἔρως ἐστὶν οὐδενὸς ἢ τινός; Πάνυ μὲν οὖν ἐστὶ.

2) Symp. p. 204 C: Ὡς δὲ μοι δοκεῖ, τεκμαιρομένη ἐξ ὧν λέγεις σὺ, τὸ ἐρώμενον ἔρωτα εἶναι, οὐ τὸ ἐρῶν. διὰ ταῦτά σοι, οἶμαι, πάγκalos ἐγαίνετο ὁ ἔρως. 3) Lys. p. 214 A — 216 B. 4) Hoc enim placitum Empedocli tribuendum esse, bene viderunt Steinhartius (l. l. p. 266) et Susemihlius (l. l. p. 21); neque prorsus dissentit Boeckhiius (Heidelb. Jahrb. 1808. Abth. 5. p. 118), qui Empedoclis discipulum quendam intelligendum esse censet. 5) Lys. p. 214 A — 215 B.

Gorgia,¹⁾ ubi omnis opera in refutandis Sophistarum argutiis posita est, contrarium ei probari videatur, tamen in Republica²⁾ prorsus eadem sententia legitur.

Reliquum igitur est, ut bonus bono amicus sit. At si verum est, quod supra dictum erat, nihil amari posse, nisi utile sit amanti, apparet

α. neque amatum, si amanti par sit, ullam posse amanti utilitatem praebere,

β. neque amantem, si bonus sit sibi que sufficiat, ullo egere amici subsidio.

Ex quo efficitur, ut omnino neque inter pares amicitia esse, neque bonus quemquam amare possit. Atque eandem ob causam paullo post³⁾ Socrates bonos philosophari negat, inepte quidem, si Astio credimus, egregie, si Platonem⁴⁾ ipsum audiamus: deorum enim nemo philosophatur, neque sapiens fieri cupit; est enim sapiens; neque si quis praeter illos sapiens est, sapientiae studet. Altera vero sententia nonne nova ac paene inaudita videtur esse? An credibile est, Platonem nullam statuisset inter pares amicitiam esse? Nullam sane, si alter alteri omnibus in rebus par sit. Utilitate enim sublata amicitia quoque tollitur. Quamquam haec non ea est utilitas, quam homines illiberales atque voluptatibus dediti spectare solent, sed ea, quae in recordatione summi boni posita est. Sed de hac re postea exponam. Fortasse autem, Socrates inquit⁵⁾, non recte diximus, parem pari amicum esse, sed contrarium accidit, ut figulus figulo, cantor cantori, mendico mendicus obtrectet atque invidet. Nonne igitur quo quis alterius dissimilior est, eo magis debet amicus esse? — Videtur.

Jam si hoc verum est, idem evenit, quod antea, ut inter amantem et amatum nihil interesse videatur. Licet enim talis amicitia comparari possit cum luporum erga oves amore,⁶⁾ tamen si ipsa dissimilitudo amicitiam parit, concedendum est, non jucundius fore lupis oves devorare quam devorari ovibus. Astius autem, quippe qui totam disputationem in meris argutiis versari arbitretur, suam opinionem egregie confirmari existimat quum ipsius Menexeni ingenio, qui *ἔριστικός*⁷⁾ vocatur, tum iis, quae subinde Socrates viros *ἀντιλογικούς* ait dicturos esse. Quid vero, si recte judicant viri illi *ἀντιλογικοί*? Nimirum jocosae Socrates invehitur in homines illos importunos, qui ne falsa quidem opinione nos frui patiantur, ex quibus unus est ipse Socrates. An forte vera est eorum opinio, qui contraria contrariis amica esse putant? Scilicet, quandoquidem dissimilitudo causa est amicitiae, non solum inimicum ab amico, sed etiam amicum ab inimico amari necesse est. Quod si nullo modo probari potest, noli Socratem reprehendere, quasi in errorem illum, quem supra commemoravi, grammaticum rursus incidit. Quae res magis etiam perspicua fit, si ad ea quae sequuntur animum advertimus. Nam ne inter bonos malosque quidem ulla potest amicitia cogitari, quia, ut possint boni justique ab

1) Gorg. p. 510 B sqq. 2) Rep. I, p. 351 D. E. 3) Lys. p. 218 B. 4) Symp. p. 204 A. 5) Lys. p. 215 C — 216 B. 6) Phaedr. p. 241 D. 7) Lys. p. 211 B.

improbis amari, — quamquam ne hoc quidem verum est. — tamen bonos, quippe qui sibi ipsi sufficiant, nullo modo amare satis constat.

Quum igitur neque similia similibus, neque contraria contrariis amica sint, nihil videtur reliquum esse. Sed accuratius haec considerantibus planum fore arbitror, non omnem inter similes aut dissimiles amicitiam tolli, causam vero amicitiae neque similitudinem neque dissimilitudinem esse. Licet enim nulla possit inter eos amicitia cogitari, qui omnibus in rebus inter se aut pares aut contrarii sint, tamen nihil impedit, quominus et similitudo et dissimilitudo quaedam inter amicos intercedat. Itaque novam viam ingressus Socrates proficiscitur a vulgari illo dicto τὸ καλὸν φίλον. Veram enim amicitiae causam investigare studet. Qua in re facere non possum, quin moneam, hoc loco discrete amicitiam in amore pulchri poni, etiamsi Platoni inter pulchrum et bonum nihil interesse videatur. Neglecto autem ad tempus vel dissimulato potius proprio disputationis consilio, tria Socrates ait genera esse rerum. Esse enim omnia aut bona aut mala aut neque bona nec mala. Ex quo efficitur, ut novem possint amicitiarum genera cogitari, quorum tria statim tolluntur, quum bonos nullo modo amare posse constet¹⁾. Deinde, quum nulla sit inter pares amicitia, fieri non potest, ut aut mali malos, aut nec boni nec mali²⁾ sui similes ament. Denique ne mali quidem bonos amare possunt, quoniam illis contrarii sunt. Attamen fateamur oportet, hoc nondum demonstratum esse; licet enim dissimilitudo non pariat amicitiam, ipso tamen fortasse desiderio boni malos ad amorem impelli incredibile est. Restant igitur tria amicitiarum genera, quorum duo Plato praetermisit. Neque id mirum. Quis enim eos qui neque boni nec mali sint a malis aut malos ab illis amari putet? Quare, si qui amantur, necesse est, ut boni amentur ab iis qui neque boni nec mali sint. Ac si e doloribus corporis licet conjecturam facere, videatur res ita sese habere. Quum enim corpus per se neque bonum nec malum sit, aegroti tamen propter praesentia mala ad medicos confugiunt. Deinde ut crines nigri albo tincti etiamsi speciem canitiei praebeant, ideo tamen neque nigri neque cani sunt, ubi vero senectus obrepsit, re vera cani fiunt, ita etiam qui aliqua pravitate laborant, dumne prorsus corrupti sint, neque mali nec boni sunt habendi. Hi igitur soli malorum sensu impelluntur, ut bona assequi studeant. Quare, quod supra nondum demonstratum fuisse dixi, probatur, neque bonos philosophari neque eos, qui adeo sint corrupti ac depravati, ut suam inscitiam omnino non sentiant. Atque quis est, quin videat, quanta cum gravitate quantoque pondere haec omnia dicta sint, ut facile cognoscas, suam Platonem sententiam Socratis ore expressisse.

Quae postquam inter Lysidem Menexenumque et Socratem convenerunt, — paullo enim longiore quam priora placita egebant explicazione, — haec quaestio Menexeno proponitur, num qui nec boni nec mali sint propter praesentia mala bonis sint amici.

1) Quamquam amor bonorum erga eos qui neque boni nec mali sint omnino non commemoratur.

2) De his vero postea videbimus.

Socratis cum Menexeno colloquium alterum¹⁾

Aegroti enim medicum amare solent propter morbum, ut convalescant; itaque si accuratius rem perpendimus, non medicum amant sed bonam valetudinem. Quicumque igitur aliquem amant, non tam illum amant, quam illud, ob quod eum videntur amare. Itaque non insidiosae, ut Astius putat, sed consulto praepositio *ἔνεκα* omittitur, ut intelligamus, summum aliquem esse amicitiae amorisque finem, quem spectent amantes et unde ipse amor originem repetat. Ac ne cui, quid de prioribus illis suspicionibus existimandum sit, dubium esse possit, quasi se ipsum irridens Socrates hoc jam praetermittit, quod ita amicum (carum) amico (amanti) similique simile amicum fiat, nova autem movetur dubitatione. Illud enim *πρωτον φίλον*, quod ob nullam aliam rem nisi ob se ipsum amatur, tamen videtur propter praesens aliquod malum amari, quia, si mala omnia subito e mundo sublata essent, nullum foret boni desiderium. *Τὸ ἄρα φίλον ἡμῶν ἐκεῖνο, εἰς ὃ ἐτελεύτα πάντα τᾶλλα, ἢ ἔνεκα ἐτέρου φίλου φίλα ἔφραμεν εἶναι, οὐδὲν δὲ τούτοις ἔοικε. ταῦτα μὲν γὰρ φίλου ἔνεκα φίλα κέκληται, τὸ δὲ τῷ ὄντι φίλον . . . φίλον ἡμῶν ἀνεφάνη ὄν ἐχθροῦ ἔνεκα.*²⁾ Ipsa enim placet Platonis verba ponere, quoniam sunt, qui in hoc loco praepositiones *διὰ* et *ἔνεκα* more sophistico misceri putent, in quorum sententiam miror etiam Steinhartim, virum insigni ingenii acumine praeditum, incidisse, quasi manifesta fraude tota quaestio perturbetur. Imo haud scio an hoc Platoni ne in mentem quidem venerit. Nam si sophistarum argutiis uti voluisset, hunc fere in modum eum arbitror disputaturum fuisse: Quaecumque propter aliquam rem amamus, minus nobis cara amatur, re vera non bonum sed malum amari fatendum est. Attamen hoc nefarium est dicere. Quum vero prorsus contrarium dicat, et primum carum *ἐχθροῦ ἔνεκα* amari contendat, aliquid aliud ei ante oculos versari necesse est. Quod quid sit paucis exponere conabor. Mihi enim Steinhartius praepositionem *ἔνεκα* non recte videtur interpretatus esse, quae non solum finem, quem appetimus, sed etiam rationem potest indicare, qua permovemur, ut aliquid faciamus³⁾. Jam si *ἔνεκα* pro *διὰ* positum esset, nihil interesset inter primum illud carum et cetera, quae solent cara haberi, quoniam etiam haec constat propter praesentia mala amari. Longe vero aliter res se habet. Cetera enim, etiamsi per se cara nobis non sint, tamen cara nominantur (*κέκληται*), quia illud vere carum animo observatur, hoc vero a nobis amatur (*φίλον ἀνεφάνη ὄν*), quia malo aliquo urgemur. Malis igitur impellimur, non ut cara nominemus, quae nobis videntur cara esse, sed ut bona vel summum bonum amemus. Quae sententia egregie confirmatur iis, quae sequuntur. Quaerit enim Socrates, qua re ad amandum permoveamur, utrum summo bono

1) Lys. p. 218 C. — 221 C. 2) Lys. p. 220 E. 3) Herod IX, 28; *Προσεχίας δὲ σφ' εἰλογοῦ ἐσιάναι οἱ Σπαρτηῖται τοὺς Τεγεῆτας καὶ τιμῆς εἴνεκεν καὶ ἀρετῆς.*

an malis, vel eo, quod nos assecuturos esse speremus, an eo, quod nobis deesse sentiamus. Itaque Socrates, quum, quomodo summum bonum possit amoris causa esse, non intelligat, ne e malorum quidem sensu amicitiam demonstrat oriri, quoniam sublatis etiam malis cupiditates maneat nec bonae nec malae. Quae vero cupiamus atque desideremus, ea quin amemus fieri non posse.

Jam igitur apparet, non malis nos ad amandum impelli, sed aliquo desiderio — nisi forte omne desiderium in malis numerandum est. Atqui desideramus ea quae nobis desunt vel potius quibus orbi sumus, orbamur autem iis, quae nobis propria sunt. Hinc igitur Socrates ad novum proficiscitur caput sermonis, cujus et Menexenus et Lysis participes sunt. Amare enim quisque videtur, quod ei proprium est. Atque hoc Platoni persuasum esse inde maxime colligimus, quod non minore gravitate et pondere haec, quam altera, de qua supra diximus, sententia explicatur; simul etiam veram amicitiam non sine mutuo amore cogitari posse, perspicuum fit.

Hoc igitur unum reliquum est, ut, quid cuique proprium sit, quaeramus¹⁾. Etenim si idem est quod antea simile appellatum erat, redimus ad eam sententiam, quae jamdudum refutata est; sin quid aliud est, quoniam tria statuimus rerum genera esse, videatur bonum bono et malum malo proprium esse. Tum vero injustus injusto amicus foret, quod nullo modo fieri potest. Quid vero obstat, quominus omnibus bonum proprium esse dicamus? Scilicet hoc pacto bonus videtur bono amicus esse.

Quid multa? Simulat Socrates, se non intelligere, quomodo bonum cuiquam possit proprium esse, nisi ipse bonus sit, quamquam paullo ante declaraverat, proprium esse id, quo quis orbatus sit. Amant igitur ii, qui priorum bonorum recordati amissa recuperare student. Num vero unquam homines summi boni participes fuisse credibile est? Ac si fuerunt, quando in hanc miseriam inciderunt? Deinde quum nullam apud infantes illius felicitatis memoriam reperiamus, qui fit, ut postea prioris status recordentur? Denique, ut recordentur, quo modo possunt ad pristinam illam vitae conditionem redire? Nihil de his rebus in Lyside. Seniorum enim aliquem interrogaturus Socrates prohibetur servorum adventu, qui Lysidem et Menexenum domum abire jubent. E Phaedro vero cognoscimus, hominum animos quondam alis praeditos in regione coelesti ipsam veritatem spectasse; postquam autem amissis alis in has inclusi sint compages corporis, rerum pulchrarum contemplatione paulatim divini illius spectaculi memores fieri ac, dum crescant pinnae, similes esse parturientibus. Talem igitur animi motum non amicitiam sed amorem vocare consentaneum est²⁾.

De consilio dialogi.

Jam priusquam dialogi consilium exponamus, pauca praemittenda sunt de amore, qualis apud Platonem fingitur. Amor enim constat in amori boni; neque vero simpliciter

1) Lys. p. 222 B. — 222 E. 2) cf. p. 6 adm. 7 pp. II. p. 77 B. A. (1) Mono p. 77 B. A. — 212 A. (1) Mono p. 208 E. — 212 A. (1) Mono p. 208 E.

amamus bonum, sed habere cupimus, quin etiam non habere solum, sed semper habere.¹⁾ Omnes autem homines videntur parturire ac pulchri praesentia onere suo liberati pariunt nova pro amissis veri bonique simulacra. Fit igitur partus ἐν τῷ καλῷ²⁾. Quod quid sibi velit, a viris doctis invenio non ita explicari, ut omnis erroris occasio tollatur. Neque enim amor procreationis est desiderium, sed partus, neque hoc efficit, ut amatus (ὁ καλός) pariat, sed ipse amans parit aliquid pulchri vel boni. Quamquam igitur amatoris est, amatum sermonibus honestis erudire atque ad sapientiae studium excitare, hoc tamen apparet eo consilio fieri, ut ille amatorem redamare incipiat. Nam verendum est, ne pulcher, cujus praesentia sola amatoris dolores mitigari possunt, nisi ipse similibus laboret doloribus, amatorem deserat ejusque usum atque familiaritatem repudiet. Verus autem amoris fons immortalitatis est desiderium, quam natura mortalis, dum res divinae sine ulla vicissitudine eadem semper manent, nullo modo sibi comparare potest, nisi intereuntis loco novum aliquid sui que simile procreat. Atque hoc non solum in animantium vita, sed etiam in animi cognitionibus quotidie fieri videmus, quia omnis scientia oblivione perit, memoria autem atque perpetua exercitatione quodammodo renascitur.³⁾

Reliquum est, ut quaeramus, quomodo iidem possint et amari et redamari. Etenim si amantur, boni sint oportet, atqui bonos secundum Platonem nullo modo amare, jamdudum pro comperto habemus. Quam rem facilius nos spero intellecturos esse, ubi, qui nec boni nec mali sint appellandi, melius cognoverimus. Revertamur igitur ad exemplum aegrotantium. Quicumque enim aegrotare dicuntur, non toto corpore sed aliqua parte corporis solent laborare. Atqui si de corporibus solis quaeritur, nihil videtur sanitate amabilius esse. Ex quo efficitur, ut morbos inter mala, sanitatem autem inter bona numerare cogamur. Aegrotantium igitur corpora, priusquam morte deleta sint, neque bona nec mala vel potius partim bona partim mala sunt vocanda. Animorum autem sanitas in virtute atque sapientia posita est. Mali igitur sunt ii, qui etiamsi aliquando veritatem spectaverint⁴⁾, pristinae tamen atque divinae illius vitae ne memoriam quidem servaverunt; ceteri vero et boni et mali appellandi sunt. Homines igitur quum nascuntur, virtutis videntur expertes esse, nisi quod absconditus est in eorum animis sensus quidam veri atque honesti, qui primum eos impellit, ut corpora formosa, tum ut animos pulchros, deinde ut singulas disciplinas, denique ut ipsam pulchritudinem vel veritatem ament⁵⁾, cui inscii statim ab initio studuerant.

Quo vero quis in his studiis plus profecerit, eo magis videtur viri boni nomine dignus esse, licet re vera nemo sit bonus. Itaque etiam inter homines amicitia potest cogitari, si quidem alter alterius virtutes amat, ea vero amicitia, quae etiam inter improbos interdum videtur constare, etiamsi speciem praebeat amicitiae, tamen nulla est, quia falsam improbi de summo bono opinionem habent⁶⁾. Jam etiam intelligimus, qualis debeat

1) Symp. p. 206 A. et p. 207 A. 2) Symp. p. 206 E. 3) Symp. p. 208 B. 4) Phaedr. p. 249 B.

5) Symp. p. 208 E. — 212 A. 6) Meno p. 77 B. sqq. cf. Protag. 352 C. sqq. Gorg. 467 D. sqq.

inter amicos et similitudo et dissimilitudo intercedere; uterque enim partim bonus partim malus debet esse, ut alterius vitiis alterius virtutes respondeant, quam ob rem in Convivio homines dicuntur dimidium sui quaerere. Neque minus apparet, quomodo homines possint amare inimicos, h. e. eos, qui ipsos oderint. Amatus enim, propter vitia oderit amantem necesse est, dum aliquas in eo virtutes inesse cognoverit. Ubi autem se ipsum aliquem fructum ex illius amore percipere sentiat, fieri non potest, quin redamare amantem coeperit. Quicumque igitur amari cupiunt, etiamsi non sint sapientes, tamen bonis artibus sapientiaeque studeant oportet, quia nullo modo possunt hominibus prodesse, nisi aliqua ex parte sapientes sint suaque indole alios ad virtutem incitent; quicumque vero sapientiae student, ipsi ament necesse est. Quare si originem atque fontem amoris spectes, amor sapientiam sequitur, sin fructum atque finem quaeras, sapientia praemium est amoris. Amantur enim homines propter eam quam sibi comparaverunt sapientiae partem, amant vero, ut ipsi sapientiores fiant.

Quae si probabiliter disputavimus, hoc fere apparet totius quaestionis schema esse:

A. Dialogi pars prior:

(Socratis cum Lyside colloquium prius)

Quomodo ad vitam beatam perveniamus, quaeritur.

B. Dialogi pars altera:

Quid sit amicitia.

I. Quaestio prior:

(Socratis cum Menexeno colloquium prius)

Qui amici sint appellandi.

1. Utrumque videri hoc nomine dignum esse,

- a. si alteruter alterum amet;
- b. si uterque alterum amet.

2. Non utrumque amicum esse, sed

- { a. aut amatum
- { b. aut amantem.

II. Quaestio altera:

De fonte atque causa amicitiae sive amoris.

1. Mutuam videri amicitiam nasci

(Socratis cum Lyside colloquium alterum)

- a. ex morum similitudine;
- b. ex morum dissimilitudine.

2. Amicorum alterum amare, alterum amari;

(Socratis cum Menexeno colloquium alterum)

- { a. bonum amari ab iis, qui neque boni nec mali sint;
- { b. ab iisdem amari id quod cuique proprium sit.

Vera igitur Platonis de amicitia sententia declaratur utriusque quaestionis parte altera, ita tamen, ut singula ejus capita (a et b) eandem fere sententiam praebeant. Lysidis autem consilium videtur hoc esse, ut de fine et de fonte amoris exponatur; quomodo vero nascatur amor et qua ratione ad sapientiam perveniamus, ex Phaedro et Convivio cognoscimus.

Quae si probabiliter disputantur, hoc loco apparet istius quaestionis schemata esse:

A. Dilecti pars prior: (Socrus cum Lyside colloquitur dicitur)

Quomodo ad vitam beatam perveniamus, quaeritur.

B. Dilecti pars altera: (Socrus cum Lyside colloquitur dicitur)

Quid sit amicitia.

